Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2201
Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 11. ut e calce adſumo, *Opuſculum ymnorum.* Potius Commentarium dicemus in Hymnos, quibus in officiis ſuis utitur Eccleſia. Prooemium init: *Sicut teſtatur philoſophus in 4. ethicorum, quod ultima hominis felicitas in hac uita conſiſtit* &c. Autores principales Hymnorum dicuntur *Gregorius*, *Prudencius*, *Ambroſius* et *Sedulius*, Collector vero *Ylarius* quidam. Plura de hoc Commentario, cui alter in *Sequentias* adhaeret, dixi *Vol.* I. P. I. *col.* 153.

III. *fol.* 50. Rituale ἀνεπιγραφον varios Exorciſmos et Benedictiones complexum, nempe Salis, Aquae, Cerae in Purificatione B. V. M. Cineris, Palmarum, Olivae, Ritum Baptiſmi, Benedictionem Agni Paſchalis, Ordinem viſitandi et ungendi Infirmum, ubi nihil de Renibus, Orationes ſuper Defunctos, Benedictionem Peregrinorum, Nuptiarum, Mulieris poſt Partum, et *Amoris ſ. Johannis Evang.* Atque poſtrema haec non pertinet, ut putare quis poſſet, ad coetum aliquem Bibonum, ſed contra venena dirigitur; ita enim de Deo: *cuius audito nomine ſerpens conquieſcit, draco fugit, ſilet vipera, et ſubietta* (lego Rubeta) *illa, que dicitur rana inquieta torpeſcit, ſcorpius extinguitur, regulus vincitur, ſpalangus* (Phalangium?) *nihil noxii operatur.*

IV. *fol.* 68. Collectio variarum Precum, et Horarum Canonicarum de Paſſione Domini, B. V. M. variisque Sanctorum generibus, in qua chorum ducit *Oratio ſacerdotalis* videlicet praeparatoria ad faciendum Sacrum, quae ab Hymno *Veni creator Spiritus* &c. incipit.

V. *fol.* 153. *Incipit Statius minor qui eſt Achilleidos.* Manu Sec. XII. et quidem, ut vult inſerta Scheda, *Luitholdi* Monachi *Monſeenſis* non ſemel nobis memorati. Ex iis, quae ad primos 100. Verſus cum Edit. *Veenhuſiana Lugd. Bat.* 1671. 8. collatos obſervavero, liquidum fiet, operae pretium facturum eum, qui totum Poema enotarit:

	Editio.	Codex.
V. 3.	*multum* inclyta.	*ſint* inclita.
14.	Itala virtus.	itala virtus *uel tellus.*
24.	imperat *Helle.*	imperat *Helles.*
47.	injuria *raptæ.*	iniuria *nuptę.*
49.	per Tethyos *amnos.*	per thetios *amnes.*
67.	temerarius *arbiter* Idæ.	*iudex* temerarius Idę.
68.	terris *pelago*que.	terris *cęloque.*
74.	timuiſſe mihi.	timuiſſe *meo uel* mihi.
77.	laniata *comas.*	laniata *genas.*
78.	ductor aquarum.	ductor *uel rector* aquarum.
80.	*Theti* mergere claſſem.	*ſub*mergere *puppim uel* claſſem.

Edi-